

R E M B. D O D O N A E V S  
L E C T O R I S.

**I**NGENVVM ac liberale semper habitum fuit, amice Lector, agnoscere quorum vel scriptis vel opera quis adiutus fuerit ac promouerit. Quam ob causam cum nos in describendis Stirpium historiae Pemptadibus istis non modò plurimorum veterum, sed & recentiorum nostriq; temporis Scriptorum testimoniis vsi sumus; nomina quoq; omnium ascribenda putauimus, ex quorum videlicet monumentis ac posteritati relictis scriptis nos profecisse & adiutos inficiari haud possumus. Adiecimus verò & horum similiter nomina, (sed tamen seorsim) ex quorum hortis nobis copiosa locuplesque subinde præstita est Stirpium multitudo, & coràm videndarum cognoscendarumque copia & potestas facta: tum & eorum, qui etiam vel aridas & alia quædam ad nos, siue ex Italia, aut ex Germania, vel aliunde miserunt. Vtrisque autem nos plurimùm debere vt agnosciamus, ita & non paucis locis testatum etiam esse volumus. Icones autem plurimas quidem nostra opera & cura iam olim delineatas fuisse facile agnouerit, qui frumentorum, florum, & coronariarum, purgantiumque historias cum Appendice priùs habuerunt aut viderunt. His accesserunt non pauca ( præter nonnullas nouas & antè non editas ) & me quidem procurante supra aliquot annos expressæ, quæ in vernaculis ac Gallicis de Stirpium historia Commentariis à Ioanne Loëo quondam editis extant: reliquæ partim ex Caroli Clusij, sed plures ex M. Lobelij Obseruationibus accesserunt. Quod quidem nobis ea de causa licuit, quòd omnes nostras in suis Obseruationibus ipse Lobelius inseruerit: sed tamen haud præter consensum & voluntatem nostram, & sub conditione, vt vicissim sua cura delineatas, mihi liceret in meas Pemptades, quibus opem haberem, transferre. Non existimauimus enim easdem ( nisi fortè non satis rectè expressas ) iterùm depingendas, ac duplici sumptu Christophorum Plantinum typographum diligentissimum grauandum, qui olim nostras de floribus, purgantibus, frumentisque historias, ac deinde Caroli Clusij & M. Lobelij Obseruationes suis typis in publicum dedit. Vale.